



1567

1893

o. XVII, 291.

50


ORATIO

FVNEBRIS DE MORTE
INCLYTI PRINCIPIS GEORGII,
*Principis in Anhalt, &c. Qui obiit anno
ætatis suæ 46. Christi ue-*
101553.

SCRIPTA AD ILLVSTRISSIMVM
*Principem Ioachimum fratrem Georgij,
Dominum suum Clementissimum.*

Autore

MICHAELE MACARIO
Magdeburgensi.



VVITEMBERGAE.

EPIGRAMMA AD
LECTOREM.

Ascanij recitat breuis hæc oratio laudes,
Quem nimium celeri funere Parca tulit.
Cuius prima fuit populo prodesse uoluntas,
Exemplum ueri Principis ille fuit.
Addidit hic reliquis uirtutibus hanc quoq; laudē,
Quod coluit uerum pectore & ore Deum.
Multa etiam scripsit de uera Relligione,
Illu strans meritum Maxime Christe tuum.
Nunc quoq; saluatū statuens se sanguine Christi
luit ad æternam uoce precante scholam.





VIX multis retro
seculis ulla æstas
tam tristia, tam
que multa præ
stantium uirorum
funera continua
uidit, quam huius
53. anni. Amilimus enim breui
interuallo aliquot Principes, fortissi
mos uiros, qui patriæ & domi & fo
ris usui esse potuissent. Primo Prin
cipem Ernestum, fratrem Principis
Iohannis Friderici. Mox deinde se
quuta est horribilis pugna Saxoni
ca, in qua uno die tres Principes, &
aliquot Comites fortissimi heroes ce
cidere, inter quos & Mauricius Ele
ctor una occubuit. Tandem & Re
gem Angliæ, spectatæ indolis ado
lescentem amilimus.

Nunc accedit nouus luctus, quod
amilimus & doctorem ecclesiæ ex
cellentem, & Principem salutarem,
GEORGIVM PRINCIPEM ASCA
NIUM, quem non solum alij sapiens

A ij res

tes Principes & docti homines ob
eruditionem & integritatem magnis
fecerunt, sed etiam sapiens Impera-
tor Carolus Quintus tanti fecit, ut
dixerit, eum inter Germanicos
Principes eruditione & integritate
excellere, & sperare se, eum sibi usui
futurum esse in constituenda Eccle-
sia. Graue testimonium tam sapien-
tis Imperatoris esse iudicetur.

Nec uero fieri potest, quin tali
uiro & Principe amisso omnes me-
rito doleamus. Quis enim sane men-
tis homo, quis non plane ἀσπυγῶς,
tam excellentis, tam eruditi, tamq̃
sapiens Principis morte non adfi-
ciatur? Necesse est, eum quouis A-
damante duriores esse, quem huius
tanti & tam p̃ij Principis interitus
non commoueat. Nec laudanda est
dura & horrida illorum sententia,
qui homines dolere uetant, & lu-
ctum ac desiderium nostrorum tan-
tum insaniam esse clamitant, quorum
doctrina cum hominum natura, cum
omnium

omnium Patrum & Patriarcharum
exemplis, atq; adeo cum ipsius DEI
uoluntate pugnat. Cum enim ho-
mines ad societatem conditi sint, iure
dolemus, si amicorum nostrorum,
qui & nobis & alijs, totiq; reipublice
opera sua inseruierunt, usu priua-
mur. Sæpe narrant Diuine historie,
Patres, qui sapientia & uirtute excel-
luerunt, suum dolorem in interitu
suorum multis testimonijs declara-
se. Quid multis? Deus ipse uult &
præcipit, nos adfici debere desiderio
nostrorum, & orbitatem nostram &
reipublicæ cogitare. Vult tamen
Deus, etiam esse modum mœsticiæ,
ne lugeamus ut ethnici, qui nullam
uel Resurrectionis uel alterius uitæ
spem reliquam habent, sed ut mode-
remur dolorem, quod fit, cum has
consolationes cogitamus, quas nobis
Deus ipse in doctrina Ecclesiæ diui-
nitus tradita, & illustribus testimo-
nijs confirmata, proposuit, quas ut-
cunq; exponam.

Antequam uero de his consola-
tionibus

A 3

tionibus

tionibus dicam, prius de ipso dicere
necesse est, in qua Familia natus sit,
quomodo institutus a teneris, & qui
uitæ ipsius cursus fuerit. His breui-
ter expositis postea ad consolationes
accedemus.

Videō autem hanc materiam
non solum summam eloquentiam,
sed etiā multarum historiarum cogni-
tionem requirere, quorum utrunq;
cum mihi desit, & alias natura sim ti-
midior, quod uel solum impedimen-
tum etiam maximi & sapientissimi
cuiusuis animum, nedum meum,
perturbare & deſcere possit, sæpe
optaui, hanc prouinciam alteri cui-
dam contigisse, qui & eloquentia ua-
leret, & cui Illustrissimorum Ascanie
Principum historia, res gestæ, atq;
adeo ipsorum tota uita notior esset.
Motus tamen & bonitate causæ, &
Præceptorum meorum iustis & hos-
nestis mandatis, qui mihi hunc dicen-
di laborem imposuere, & quibus in
alijs, etiam maioribus, gratificandum
censui.

cenfui, in medium huc processi, Prin-
ceps Illustrissime, sperans, tuam cle-
mentiam, hanc meam, licet tenuem
& frigidam oratiunculam, boni con-
fulturam, & placide audituram esse.
Quod si fecerit T. C. & mihi anis-
mum addet, & dicendi studium
supra modum augebit.

Non dicam fabulosa de origine
Familiaē Ascaniaē, sed tantum notis-
simas quasdam historias breuiter per-
stringam, ex quibus tamen eius Fas-
milie excellens uirtus, fides & con-
stantia conspici poterit.

Anno 1137, Imperator Lothar-
ius Saxonicus, sapiens Princeps, ut
in Italia, quæ ardebat & intestinis &
Sarracenicis bellis, pacem restitue-
ret, misit eo ALBERTVM VRSVM,
Principem Ascanium & Anhaltinū,
eiq; summam autoritatem in regen-
do exercitu, & constituendo Italiae
statu tribuit. Postea sequutus est ipse
Lotharius, qui huius Alberti sapien-

A 4. 113

10
tia & uirtute Italiam ciuilibus dissensionibus liberauit, & in ea pacem, leges, magistratus, & uicinarum concordiam restituit. Postea & Rogerium Normannum imperata facere coegit. Ex qua historia & eximiam illius prudentiam & summam fidem fuisse colligi potest. Neque enim sapiens Imperator Italiam & expeditissimum exercitum ei commendasset, nisi & consilij & fidei tantum in eo esse iudicasset, quantum illorum negotiorum magnitudo poscebat.

Cum autem in reditu pacata Italia intellexisset Imperator Lotharius, Henricum Marchionem Brandeburgensem sine hærede mortuum esse, & nouo beneficio locum fecisse, iudicauit, huius Alberti tantam uirtutem esse, ut illi præ reliquis suis competitoribus & Marchiam & Electoris dignitatem traderet. Hoc tantum decus circiter trecentos annos hæc Familia tenuit, & res magnas gessit in reprimendis uicinis Tartaris & Po

& Polonis, quas historias omnes ob
breuitatem prætereo.

Non multo post Alberti huius fi-
lius, BERNHARDVS, cum esset dux
præcipuus in exercitu Imperatoris
Friderici Barbarossæ, & illi ob singu-
larem uirtutem & fidem carissimus,
factus est DVX SAXONIAE ELE-
CTOR, & gessit res maximas, tenuitq;
& huius posteritas hanc dignitatem
fere trecentos annos.

Sed nimis longum foret, si nobi-
lissimæ huius Familiæ egregia facta
omnia, & singulorum res gestas pro
merito enumerare uellem. Sufficiat
hæc qualiscunq; commemoratio, ex
qua & uetustatem & Nobilitatem
huius Familiæ, quæ semper & maxi-
ma gessit, & præcipuam inter Prin-
cipes Germanicos autoritatem has-
buit, colligere possumus.

Veniamus iam ad institutionem
& educationem Principis Georgij.

A 5 cuius

cuius imprimis est habenda ratio.
Mater Principis Georgij, pia casta &
sapiens matrona, Domina a Mon-
sterberg, etsi vidua paterno auxilio
in educatione filij destituebatur, tamē
cum & doctrinam Ecclesiae studio-
sissime legeret, & Deum uera inuo-
catione coleret, & sciret, cognitio-
nem literarum necessariam esse & ad
religionis conseruationem, & ad po-
liticam gubernationem, filios summa
diligentia erudiri curauit.

Fuit autem assiduus praceptor
Principis Georgij honestissimus se-
nex, Georgius Heltus Forchemius,
qui & Casparum Crucigerum, &
Camerarium, & alios, docuit, qui pos-
tea Reipublicae utiliter seruiuerunt.
Ab hoc suo praepatore Grammati-
cam, linguam latinam & Dialecticam
didicit. Postea his perceptis cum &
plura indies cognoscere uellet, & ad
discendum factus esset auidior, con-
sulit se in Celeberrimam Acade-
miam Lipsicam, ibique audiuit Iuris-
consultos.

consultos. Et cum natura ipsa adiua-
uaretur, & mirifico liberalium ara-
tium amore teneretur, exiguo tem-
pore in eo studio tantum profecit,
ut reliquis suis commilitonibus non
tantum conferendus esset, sed eos
etiam doctrina & eloquentia longe
superaret.

Et quia Meideburgensis Archie-
piscopus uidebat, industriam eius
eximiam esse, adiunxit eum suis con-
siliarijs, ita ut ipse præcipuam guber-
nationis molem sustineret. In qua
gubernatione non solum Archie-
piscopus ipse, sed tota Diocesis Mei-
deburgensis sapientiam & fidem
Georgij cognouit.

In hoc cursu cum esset, & cum
optima disciplina materna ad agni-
tionem & inuocationem ueri Dei
adsuefactus esset, & assidue legeret
sacros libros, certamina de doctrina
mota sunt, in quibus D. Martinus
Lutherus, aduersariorum impia &
blasphema doctrina irritatus, errores
Monachos

Monachorum taxare cœpit, & doctrinam puriorem, quam adhuc Dei opt. Max. beneficio in Ecclesijs nostris sonamus, proposuit.

Et quanquam initia huius causæ plausibilia erant, tamen nō continuo eam adprobavit, sed ut uir sapiens diu distulit iudicium. Priusquam enim palam ostendit suā sententiam, omnia utriusq; partis scripta diligentissime & legit & expendit. Postea semel cognita ueritate constanter eam amplexus est. Et quanquam multa tentabantur ab aduersarijs, ut eum inflecterent, ut puritatem receptæ & agnitæ doctrinæ abijceret, tamen nec minis nec præmijs se ab illa amoueri passus est, omnibusq; periculis prætulit ueritatis confessionē, ostenditq; signa suæ confessionis, & Ecclesias in patria & in Mersburgensi ditione diligentissime inspexit & emendauit, probe sciens, præcipuum omnium Principum officium esse, sonare in genere humano uocem diuinam,

diuinam, & curare, ut populus recte
erudiatur.

Vtroq; autem genere docuit Ec-
clesiam concionibus publicis in tem-
plo, & editis libris, in quibus præci-
puarum controuersiarum grauissima
diuidicatio continetur. Fuit tan-
quam Episcopus harum regionum,
& quia uniuersæ antiquitatis certa-
mina & iudicia contulerat, ueritatēq;
didicerat, diligentissime hoc præsta-
bat, ut ea etiam pura & incorrupta
ad posteros propagaretur, & anxie
curauit, ut nullæ corruptelę doctrinę
in ullo articulo fidei sparsæ sint, &
nulla inter pastores in hac regione,
quam tenet Dux Saxonix Elector,
dissidia orta sint.

Hæc sua studia etiam optimis &
placidissimis moribus ornauit. Scie-
bat Deum esse mentem castam, ama-
re castitatem, & horribilibus tragicis
ciscq; pœnis ordinis sui uiolatores
punire. Fuit itaq; castus, & uixit non
solum sine labe, sed etiam sine omni
suspi-

suspitione. Cogitabat, tantam esse
deformitatem in uagis libidinibus,
ut etiam si quis alias haberet uirtutes,
sine Castitate, tamen is & Deo & ho-
minibus inuisus esset, ut in his uersu-
bus dicitur:

*Vt cum de statua facies formosa remota est,
Non decus in toto corpore truncus habet:
Sic reliqui mores sprete sine honore iacebunt,
Ni sint ornati laude Pudicitiae.*

Patriam deinde ea iusticia guber-
nauit, ut a nullo culpari possit. Pupilo-
los, uiduas, orphanos, omnes denique
miseros ab iniusta uiolentia graui-
ter defendebat, Et cum esset temperans
& sobrius, graui-ter irascebatur hel-
luationi. Suo contentus erat, &
quantum tempora concesserunt, sua-
tor fuit, ne durioribus expilationi-
bus oneraretur populus. Totum
Reipublicae corpus amplectebatur,
& omnes actiones suas eo referebat,
ut ciuium suorum incolumitati ser-
uiret.

Adsidue

Adſidue legebat ſacras literas &
Lectiōi deinde & deliberationi-
bus de gubernatione addebat præ-
cationem. Et quia caſte & honeſte
uiuēbat, nec ullius ſcleris conſciens
tia impediebatur, lætus a Deo auxi-
liū & petere & expectare audebat.

Præterea tanta erat eius autori-
tas, ut multi uicini principes contro-
uerſias ſuas ad eum deferrent. Qui
quanquā inter ſeſe ipſi diſſentiebant,
tamen ſciebant, tantam eſſe eruditi-
onem, prudentiam & fidem Geor-
gij, ut eius ſententias libenter ample-
cterentur. Sicut Athenienſes & La-
cedæmoniꝝ controuerſias ſuas Ari-
ſtidi permittebant.

Fuit etiam admodum liberalis er-
ga ſcholasticos, pauperes ſacerdotes
& pauperes ſubditos, qui omnes eū
ut patrem diligebant, & ad eum in
extrema neceſſitate, tanquam ad ſa-
cram ancoram confugiebant. Hi om-
nes eum tam piū, tam ſapientem,
tamq̃

namque beneficium Principem amiserint, merito orbitatem suam agnoscunt, & ingenti eius desiderio adficiuntur. Quoties fui annonæ caritas, subditis suis frumentum minori precio uendidit, quam publice uendebatur. Et petentibus ligna aut alias res necessarias benigne largiebatur. Et cum beneficentiam suam in multis rebus declararet, paternus eius animus erga subditos non obscure conspiciebatur.

Patriam ornauit ædificiis. Extrui enim suo sumptu aliquot arces a fundamentis curauit. Et quamuis multa ædificabat, & multa pauperibus largiebatur, semper tamen hæc eius prima cura fuit, ne aut inutilia ædificando, aut res suas sine delectu profundendo, subditis suis noceret, aut patriam ære alieno grauaret.

Sciebat Georgius, θεὸν εἶναι ἀγάπης, καὶ τοὺς ἐν τῇ ἀγάπῃ μένοντες ἐν θεῷ μένειν. Vera itaque beneuolentia &

uolentia, & mutua *σοφῶν* fratres suos
diligebat, & ita cum eis uersabatur,
ut idem uellet & idem nollet. Quæ
uirtus cum per sese egregia sit, &
non nisi inter bonos retineri possit,
non dubitemus, Georgium pium &
bonum Principem fuisse, & eum me-
rito inter fraternæ concordiaë exem-
pla celebremus. Mihi quidem de
eo cogitanti sæpe in mentem uenire
solet dictum Dionis, qui de Marco
Antonino sic scribit: Similis sibi ipsi
semper fuit, nec mutatus est in ulla
re unquam, erat autem ualde bonus,
& nihil fuit in eo non natium, nihil
fucose adscitum. Talis certe fuit
hic Georgius, in quo omnes uirtutes
dignæ bono uiro, & ad communem
tranquillitatem conseruandam ne-
cessariæ conspiciebantur.

Cum igitur & Ecclesia doctore
fideli, & patria Principe salutari or-
bata sit, iustum est, nos intelligere,
quanto detrimento adfecti simus, &
dolere propter orbitatem nostram,

B

& adfici

& adfici desiderio talis uiri, sicut om-
nibus temporibus publicus luctus
sapientum & præstantissimorum ho-
minum fuit, qui dolorem suum in
interitu suorum multis testimonijs
declarauerunt. Ioseph mortuo pa-
tre orbitatem suam agnoscit, & lu-
ctum suum totis septem diebus de-
clarat. Populus Israel mortem
Moyli per continuos triginta dies
deflet. Stephani interitum tota
Ecclesia lugeat. Cur ergo nos tam
ferrei simus ut huius tanti & tam sa-
lutaris doctoris, tamq̃ pij, & de Ec-
clesia tam bene meriti Principis mor-
tem non lugeamus? Omnino gra-
ta est Deo hæc pietas, qui uult, ut
nostra uulnera agnoscamus, & ab
ipso idoneos gubernatores, & salu-
tares doctores petamus. Sed ta-
men rursus uult Deus, ne nimium
doleamus, & nimio luctu impatien-
tiam nostram ostendamus, sed debe-
mus moderari dolorem, idq̃ maxie
harum sequentium causarum
cogitatione,

Primum

Primum uult Deus, ut certo
statuamus, nos homines non casu
extitisse, nec casu extingui, sed Diui-
no consilio, nō fortuito, homines ex
hac mortali uita, tanq̄ emeritos mi-
lites ex statione euocari. Et cum
hæc sciamus nequaq̄ impatientia
nostra cum Deo belligeremur, sed
ut in alijs ærumnis, ita & in his Di-
uinæ uoluntati nostrā subiiciamus,
& ei placide obtemperemus, sicut
David, qui iniuste faceret, si in exi-
lio uellet θεομαχεῖν, cum se non for-
tuito, sed uoluntate Dei puniri sciat.

Deinde præcipua consolatio
est, quod nostræ utilitati ipsius sa-
lutem anteferre debemus. Scimus
ipsum foelicissime ex huius uitæ
ærumnis discessisse. Sic enim uiue-
bat, ut semper intueretur, & arden-
tibus uotis cœlestis Ecclesiæ consue-
tudinem expeteret. Et semper ad
hoc iter paratus erat. Iam in morbo,
etsi grauius excruciabatur, tamen
dolorem suum moderate ferebat.

B ij & non

& non lectionem, non inuocationem omittebat, subinde orans Deum, ut propter filij meritum peccata sua tegeret, & uitam æternam sibi donaret. Adsidue & in confessione & inuocatione ostendit, se non dubitare, quin ad illum pulcherrimum cœtum, in quo filius Dei, Prophetis Apostolis & aliorum piorum agmini, & sese & patrem palam ostendit, ubi p̄j æterna luce & sapientia Dei fruuntur, mox accessurus esset. Ibi se cum Prophetis & Apostolis, alijsq; innumeris beatis colloquuturum, & mirandorum operum causas, quas in hac uita perspicere penitus non potuerit, ibi demum in ipso archetypo consideraturum esse. His & alijs pijs sermonibus finitis, in uera fide & ardenti inuocatione placidissime ex hac ærumnosa uita, ad cœlestem Academiam discessit.

Cum igitur ex multis diuinis testimonijs certo sciamus, bene cum
illis

illis agi, qui ex hac uita Mediatoris
fiducia discessere, certo statuamus
eum beatum esse, ideoq; bonis ip-
sius non inuideamus, sed foelicissi-
mam hanc migrationem, & coelestis
Ecclesiae consuetudinem ei gratule-
mur. Exemplum quoq; ipsius
nobis proponamus, & quantum fieri
potest mores ipsius imitemur. Dili-
gamus Deum & uerbum ipsius,
amemus fratres nostros, illis charita-
tis officia exhibeamus, & uitam
nostram ita instituamus, ut laeti a
Deo auxilium petere, & coelestis
Academiae consuetudinem hilari
animo expectare possimus.

Deinde aliquam adferet nobis
in hoc luctu leuationem conside-
ratio morborum ipsius, quibus iam
aliquot annos conflictatus est, qui sic
ingrauescebant, ut incurabiles esse
iudicarentur. Iam igitur uita ei
magis oneri, quam uoluptati erat.
Et quamuis dolorem moderate fe-
rebat, tamen morbis suis studia &
B iij gubere

gubernationem Ecclesiae impediri
ualde dolebat. Gratulemur igitur
illi, quod ab hoc fragili & mortali
corpore solutus, iam coelesti
uita fruitur, quam consuetudinem
coelestis uitae omnes expetimus,
ubi Deum Patrem, Filium, & Spiritum
Sanctum coram intuebimur, &
corpora nostra nec fame nec siti,
nec ullo morborum genere labora-
bunt.

Scimus autem Ioachime Prin-
ceps Illustrissime, uulnus tuum max-
imum esse, & te iuste mortem fratris
tui dolere, quem mutua storge, &
ardenti amore sic diligebas, ut in tota
uita nihil tibi carius fuerit. Dein-
de hunc fratrem, omnium consilio-
rum in gubernatione socium habu-
isti, illi res tuas arcanas tuto commit-
tere, & grauissimarum causarum
certam & perspicuam diiudicatio-
nem ab ipso audire potuisti. Iure
igitur & tua & patriae causa do-
les, & orbitatem tuam agnoscis,
cum tam pium, tam fidum, tamque
sapientem

sapientem fratrem amiseris. Sed cum tibi noti sint consolationum fontes, quos Deus Ecclesie suae tradidit, inde pro tua excellenti sapientia colligito remedia, quibus Deus ipse moestitiam nostram leniri uoluit.

Scimus cor nostrum ita a Deo conditum esse, ut laetitia dilatetur & conseruetur, & e contra moestitia ac doloribus contabescat, torrefiat & consumatur, Nec ullum hominem quantumuis fortem, dolores nimios, perferre posse. Memento igitur & te hominem esse, qui luctum & moerorem nimium sine ingenti cordis & corporis tui laesione ferre non possis. Quare lenias moestitiam tuam, nec impedias precationem nimio luctu, nec gubernationem relinquas, nec corporis alioqui infirmi uires magis languefacias.

Primum cogitabis, homines non casu nasci, nec casu extingui, sed euocari ex hac uita, pios praesertim, consilio Dei, sicut scriptum est, omnes capilli capitis uestri nume-

rati sunt &c. Cum igitur frater
tuus Mortalis fuerit, & homo natus
sit, qui si hoc tempore diem suum
non obiisset, paucis post annis
tamen ei moriendum erat, & nihil
nouum ipsi acciderit, sed Diuinitus ex
hac statione euocatus sit, omnino
iustum est, ne Deo repugnes, nec
impatientiam tuam nimio luctu
declares, sed modereris dolorem, &
Dei uoluntati placide obtemperes.

Deinde quantum te frater in uita
dilexerit non ignoras. Hic iam
beatus, colloquens cum Filio Dei,
cum Prophetis & Apostolis, parentibus
uestris & fratre, de te quoque
saepe cum eis loquitur, & maxime
optat, ne desiderio ipsius crucieris,
cum quidem illi bene sit, & sit apud
eos amicos, Prophetas scilicet, Apo-
stolos, parentes & fratrem tuum, quo-
rum consuetudinem tu quoque indies
expetis. Ibi cum rursus una futuri si-
tis & uos fratres & parentes uestri,
moram hanc exiguam mediocriter fe-
ras, & ores filium Dei, ut tibi adsit,
& te

& te in gubernatione patriæ adiur-
uet. Vere enim, ut ille inquit, Tota
domus cœpit nunc onus esse tuum.

Intuere & alterius fratris tui filios,
excellentibus ingenijs, & placidissi-
mis moribus præditos, horum con-
suetudine animum a dolore abdu-
cas, illos probe institui, ad pietatem
& bonas artes adsuefieri cures, sæpe
cogitans egregiam & uere auream
illam sententiam, Esto pater orpha-
no, & DEVS magis te diliget quã ma-
ter tua. Sed ne excellenti sapientiæ
tuæ diffidere uidear, dicendi finem
faciam.

Oro autem filium Dei, Dominum
nostrum Iesum Christum, crucifixũ
pro nobis & resuscitatum, condi-
torem & conseruatorem rerum
omnium, qui solus dat fœlicia regia-
mina, ut tuæ clementiæ adsit, te tuea-
tur & regat spiritu suo sancto, ut
quamdiu uiuis, gubernatio tua &
Reipub. & Ecclesiæ salutaris sit.

D I X I.

B 5

Elegia

ELEGIA DE ILLVSTRIS-
SIMO PRINCIPE GEORGIO,
Principe Anhaltino & Ascanio, &c.

Ascaniae ueteris clarissima gentis origo
Inter Germanos nobilitate uiget.
Nam sic fama refert, autore Tuisconas ortos,
Ascanio, hinc generis nomen habere sui.
Et quoniam certis tribuuntur no mina rebus
Apta, quibus testè significata latent:
Sic dedit huic nomen pietas, pietate quid unquã
Pulchrius, è summo quæ uenit orta loco?
Namq; sacerdotem sacrati denotat ignis,
Sacratum uigilans quem fouet ante focum.
Est celebris uirtus per secula plurima, stirpis
Illius, & gestis claruit ista suis.
O quantum decus est, uera uirtute tueri
Quem dedit in uita nobile stemma, locum.
Hæc est nobilitas, quæ seruat parta, caue, q;
Virtutem factis commaculare malis

Cum Latias urbes turbant ciuilia bella,
Ac Astræa procul pulsa seuera fuit.
Misit eò Albertum Cesar Lottharius Vrsum,
Hic Dux Ascanio sanguine natus erat.
Reddidit Italiæ leges, sanctumq; senatum,
Finitimis pacem restituitq; locis.

llis

illis transactis foelici sydere, Caesar
Alberto Ascanio Marchica regna dedit,
Que quondā Senonū fuit ora, uberrima ad Al-
Marchia sed nuper nomine dicta fuit. (bim,
Insuper & pulchrum decus addidit Electorum,
Vnus de septem posset ut esse uiris.
Mox & Saxoniam terram Friderice dedisti
Bernhardo, Ausonia est quo superata duce.
Quæq; uiris septem fuerat concessa potestas,
Hæc ipsi simili conditione data est.
Quam nati ex illis annos tenuere trecentos,
Tam fuit Ascaniæ gloria magna domus.
Cū Venetos bello premeret rex Maximilianus,
Dux populi Ascania stirpe Rodolphus erat.
Illius ingenij uires, constantia, uirtus,
In rebus dubijs sæpe probata fuit.

Hac quoq; natus eras præstanti stirpe Georgi,
Excellens ueris perpetuisq; bonis.
Doctus eras, magnis conseruans sumptibus artes,
Ingenio quarum cultor & autor eras.
Maiorum laudes ornabas his quoq; factis,
Quòd puræ adsertor religionis eras.
Vir pietate grauis. Pietas rarissima nostro
Tempore, quo languet cum pietate fides.
Qualis erat iussu diuini numinis Esdras,
Qui populum docuit consiliumq; dedit.

Talis

Talis tu quōq; eras præstans uirtute Georgi,
Doctrina ciues consilioq; regens.
Indoctum uulgus tu uiua uoce docebas,
O laus egregia et Principe digna uiro.
Illi monstrabas cœlestia dogmata Christi,
Quæ sine non cœli limen adire datur:
Nempe redemptoris Christi nos munere saluos,
Non aliter patri posse placere Deo.
Hoc solo iusti placatam uindictis iram,
Hunc soluisse patri debita λυτρεα suo.
Deinde etiam scriptis celebrabas dogmata pura,
Taxabas Ditis dira uenena trucis.
O utinam similes postrema senectæ tulisset
Tota uoluptatum gurgite mersa, duces.

Iungebas studijs etiam uirtutis amorem,
Quo nihil in toto pulchrius orbe manet.
Mens tua casta fuit, sine labe est uita peracta,
Hæc placuisse tibi dicta uetusta ferunt:
Ut cum de statua facies formosa remota est,
Non decus in toto corpore truncus habet:
Sic reliqui mores spreti sine honore iacebunt,
Ni sint ornati laude pudicitia.
Cumq; egrotares, nec uitæ spes superesset,
Mandabas fidis talia uerba uiris:
Si qui forte mei nudantur corporis artus,
Quos natura tegi mandat, et ipse Deus,

Vos

Vos precor astantes uelamine condite iusto,
Ceu textit Iaphet membra tegenda patris.
Alterius subeat mentem tristissima poena,
Qui risit cernens membra pudenda Noe.

Auxiliumq; tuum deserta Ecclesia sensit,
Huic tutum hospitium praesidiumq; dabas.
Et tua prima fuit populo prodesse uoluntas,
Legum & iusticiae uerus amator eras.
Nunc uita aeterna fruere dilecte Georgi,
Nam facie ad faciem conspicias ipse Deum.
Sed te defunctum deserta Ecclesia luget,
Flet patriae patrem subdita turba uirum.

Summe Deus rerum cunctarum maxime Rector,
A quo cunctorum uita salusq; uenit.
Qui nos ardenti iussisti pectore uota
Fundere, Nam curae sunt pia uota tibi.
Te rogo restantis uitam defendito fratris,
Ut patriam orbatam sustinuisse queat.
Des illi uires ualidas, & Nestoris annos,
Et similes multos des pie Christe duces.
Auxilio Angelico nostros defendito coetus,
Hic ubi doctrinae semina pura manent.
Ut sic grata Deo fiant pie Christe parenti,
Et nostram uitam cunctaq; facta probet.

Ista

Ista Deus poscit pia uota, & talibus illius
Laudibus ornemus, qualibus ipse cupit.
Hæc est humane, quæ traditur, ultima uitæ
Clausula: Sincero pectore nosse Deum.

F I N I S.

VVITEBERGAE
EXCVDEBANT HAEREDES
PETRI SEITZII.

1553.

9
193469

ULB Halle 3
004 396 014




Sp.

710








ORATIO
FVNEBRIS DE MORTE
INCLYTI PRINCIPIS GEORGII,
*Principis in Anhalt, &c. Qui obiit anno
etatis sue 46. Christi ue-*
1553.

50

SCRIPTA AD ILLVSTRISSIMVM
*Principem Ioachimum fratrem Georgij,
Dominum suum Clementissimum.*

Autore
MICHAELE MACARIO
Magdeburgensi.



VVITEMBERGAE.

